



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. IV. De Gula. Ejus mala & remedia. Quae sint indicia devictae gulae

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

CAP. IV. De Gula. Ejus mala, & remedia. Quæ sint
indicia deviæ gule.

1. **P**rimum tibi certamen adversus gulæ vitiū in eundem est, quæ pabulum ceteris subministrat. Morti corporis & animæ nos gula initiavit. Primi enim parentes nostri, pomi interdicti esu omnes homines, antequam gignerent, peremerunt. Nunc eadem animarum hostes utuntur, ut enervato omni vigore nos proterant & conculcent. Hinc stupor, languor & tædium: hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio: hinc immunditia, rixæ, contentiones: hinc mentis hebetudo, destructio omnium virtutum: hinc rei familiaris profusio, hinc egestas, hinc longa morborum series & ipsa denique mors graviore ciborum sarcinâ accelerata. Pauci sunt infirmi, quos gula ad ægritudinem non adegerit. Nam si noxiis humoribus ex nimio cibo & potu congestis careat corpus, tentari quidem à morbo, sed non suabigi possit. *Plures occidit gula, quàm gladius.*

2. O vilissimam ventris servitutem! ô inexplebilem cupiditatem! Modicum tibi corpus natura præbuit, vincis tamen vastissimorum & edacissimorum animalium aviditatē. Taurus paucorum jugerum pascuis impletur, una sylva plures nutrit elephantos: tibi angustus est orbis nō sufficit ventri tuo quicquid volat in aëre, quicquid natat in undis, quicquid latet in sylvis. Aspice potentum culinas & concursantes inter tot ignes coquos: vide servorum & ancillarum sudantem cohortem: vide stragem animalium & natantia vino penuaria: observa quantâ sollicitudine argentum ordinant pueri, quantâ arte disponunt fercula, inferunt patinas, scindunt aves: quantâ celeritate discurrunt ad ministeria. Vix credes unam esse domum, cui tot Consulium & Regnorum vina promuntur; cui mensæ tanto tumultu apparantur. Non præcipio ut subtrahas ventri alimenta. Contumax est, non potest vinci, quotidiano indiget cibo. Verum latet hic dolus & subtilissimus concupiscentiæ laqueus, quo sæpè anima irretitur obtentu necessitatis negotium

obumbrans voluptatis. Vis scire quàm parvo fames extinguatur? Te ipsum numera, metire corpus, stomachum consule. Scies non esse necessarium, quod mensuram excedit. Naturæ pauca sufficiunt, luxuriæ nihil.

3. Fames non est ambitiosa, contenta desinere quo desinat non quærit. Elapso momentaneo palati iudicio, non suavius sapit pretiosum, quam vile. Si esuris, edendum est: si sitis: bibendum. Sed utrum panis plebeius sit, an siligineus: utrum aqua ex proximo amne excepta, an multâ nive refrigerata, nihil pertinet ad naturam. Hoc unum illa jubet, sedari famem, sitim extinguere. Pisces è superno, inferoque mari, à fluviis & lacubus evocati, detractæ è cælo aves, ereptæ è sylvis feræ, diversa vini genera & omnia Apicii condimenta infelicis luxuriæ tormenta sunt. Epicurus sobrium victum voluptatis gratiâ commendat: nihil est enim tam lautum, quod nausea non reddat insipidum; nihil tam insuave, quod delicatum non faciat fames. Vis omnem cibi & potus superfluum curam abiicere? exitum specta. Citò morieris, & corpus istud tantâ epularum varietate nutritum fœdis vermibus pabulum erit. Considera quali convivio te escam præparas, & sic carnem nutri, ne mentem opprimas. Cibo utere, qui parabilis sit & ubique occurrens, nec patrimonio gravis, nec valetudini. Magna pars libertatis est benè moratus venter & patiens contumeliæ. Multa quàm supervacua essent non intelleximus, nisi cum deesse cœperunt. Eget corpus alimoniâ, non cupediis, aut lautitiis.

4. Non est autem quod te laudes, si contempseris superflua. Tunc laudabilis eris, cum contempseris necessaria: cum tibi persuaseris sordidum panem ad victum, modicum vinum & debile, vel aqua debilitatum ad potum satis esse: cum didiceris herbas non tantum pecori, sed homini quoque nasci. Tunc te admirabor, cum solam necessitatem, ac virium reparationem, Deique gloriam in cibo sumendo spectabis: cum lautiores epulas & ma-

gnatum convivium contempseris : cum invitus ad mensam accedes , sicque alimenta sumes , quemadmodum pharmacum ægroti : cum voluptatem gustus , quia tolli non potest , compescere & moderari studueris : cum tibi molestum fuerit quidpiam delicatius , valetudine exigente , accipere : & cum vera denique mentis & corporis puritate imbutus fueris. Non enim in corporis attenuatione probatio abstinentiæ sita est , sed in perfectione castitatis.

CAP. V. *De Luxuria. Quàm turpe sit hoc vitium. Quam facilis in id lapsus , & quomodo evitandus. Voluptas animi sectanda , quæ solida est.*

I. **N**Ullum vitium isto turpius , nullum de quo magis erubescamus. Vel nudum ipsius nomen non carere ignominia edixit Apostolus præcipiens , ut quæ hujusmodi sunt nec nominentur in nobis. Hinc ille pudor , quo solent ingenui ac probi homines affici , si semel admissum aliquod immunditiæ peccatum aliis innotuisse suspicentur. Hinc lubricos adolescentiæ errores quidam in secretissimo pœnitentiæ tribunali ministro Christi abscondunt , æterna potius tormenta cum æterno dedecore subire post mortem eligentes , quàm imaginariam hujus vitii infamiam in hac vita. Huic autem limo infixus vix emergit. Conclamata est ejus salus , quem hæc lues infecit. Quid enim possunt ad hoc humanæ vires ? *Nemo potest esse continens nisi Deus det.*

2. Primum itaque hujus morbi remedium fervens ad Deum oratio est , ut ipse te sanet & præservet , qui solus potest. Tum impuris cogitationibus resistere in ipso accessu oportet , eâ celeritate quâ ignitum carbonem excutis à vestimento. Væ tibi , si te semel dimiseris ad aliquid quantumvis minimum in hoc genere deliberandum. Proxima de ditioni est arx , cujus gubernator incipit cum hoste miscere colloquia. Omnis item præcidenda pravitate occasio ab otio , à gula , ab omni specie impura , à malorum convictu & societate : nec quidquam in hac lucta negli-